

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI

**FRIDERICI
WILHELMI,**

MARCHIONIS BRANDENBURGICI, ET ELECTORATVS HEREDIS, DVCIS BORVSSIAE, MAGDEBURGI, CLIVIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE, CASVBIORVM ET VINIDORVM, ET IN SILESIA CROSNAE, BVRGGRAVII NORIMBERGENSIS, PRINCIPIS HALBERSTADII, MINDAE ET CAMINI, COMITIS HOHENZOLLERAE, MARCAE ET RAVENSBERG, DYNASTAE IN RAVENSTEIN, LAVENBURG ET BVTAV, ETC.

PRINCIPIS IVVENTVTIS,

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

ET

FRIDERICIANAE ACADEMIAE
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,

NATALEM XIII

PUBLICO ACADEMIAE NOMINE

A. D. XV AVGVSTI HORA X

A

GENEROSISSIMO IVVENE

CHRISTIANO ERNESTO

de **STEVBE,**

EQVITE MANSFELDICO,

PANEGYRICA ORATIONE

SVBIECTISSIME DEMISSISSIMEQVE CELEBRANDVM

INDICIT

ACADEMIAE PRORECTOR

GEORGIVS ERNESTVS STAHL,

MEDICINAE DOCTOR ET PROFESS. PVBL.

TYPIS CHRISTOPH. ANDRAEAE ZEITLERI ACAD. TYPOGR.

Hist. Boruss.

87,4

*Hist. Brandeb.
Fasz. 44.*



Perpetuum est, quod summis reipublicæ præsidibus officium debetur, nec vel diem intercedere fas est, quo solutos nos ab illorum cultu existimemus. Quod enim illorum cura, salutis publicæ infumta, non desinit, iique continuo de omnibus merentur bene; utique necesse est non unquam intermitteri quem ipsis honorem debemus & demississimam subiectionem. Sed hoc commune officium temporibus omnibus exsequendum præstandumque est, præter quod etiam alia pietatis & submissionis sunt munera, quæ stans diebus recurrunt, ideoque maiori religione, tamquam solemniora, peragenda. Quicumque in his primas **NATALEM DIEM** tenere censuerit, næ is nobis, quod verum est, iudicare, & cum sæculorum consentire annalibus videtur. Id quod enim præstantissimum est in homine, & vnde cetera cuncta oriuntur, **VITA** est hominis, illus prima salus & primum signum, quod ad sperandum nobis in dubiis eius proponitur. Si respondit eventus expectationi per annorum non infelicem decursionem, de reliquis etiam quo minus bene speremus, nihil est quod animum nostrum possit, in spem natura, quam in malorum metum, procliuiorem, impedire. Quis ergo non videt, quod nunc paramus, tantæ necessitudinis esse & tam sanctæ pietatis officium, ut nullo modo prætermitti possit, aut non summa liceat religione atque cura facere. Natalis enim instat decimus tertius

tius

tius serenissimi **IUVENTVTIS PRINCIPIS** ac **DOMINI** nostri clementissimi & **MAGNIFICENTISSIMI** **RECTORIS** huius **Academiae**, cuius salus & vigor adolescentiae quantum spei ad salutem publicam ferat, etiam ad nostram rem litterariam, nemo, vel tacentibus nobis, ignorat. Alii ex **NOSTRIS** relinquimus de publicis aequè utilitatibus, ac litterarum, quae ex vita eius manant, incrementis die crastino dissertare: nostrae breuitati, qua circumscripti sumus, sufficiat de litterarum, quam cum **PRINCIPIS** salute habent, coniunctione quiddam praelibare. Non fortunatiores sunt bonae litterae, quam si sub **PRINCIPE** eo exercentur, qui amat illas, cultores illarum aestimat, ac praemiis stipendiisque ornat, idque eo largius, quo ipsemet illas impensius a prima aetate colere, tractare, & ad verum earum usum, hoc est ad rempublicam gerendam, & in melius feliciusque prouehendam, didicerat applicare. Habemus, quod optauimus, in serenissimo potentissimoque **PRINCIPE** ac **ELECTORE FRIDERICO III, DOMINO** nostro indulgentissimo: habemus, inquam, quod speratum est, in tam pio, tam sapiente ac liberalissimo **PRINCIPE**, & cum ubertate fructuum habemus, quibus nos & **Academiam** hanc suam sustentat, atque in singulos annos novis maioribusque beneficiis auget atque ornat. Habemus etiam in serenissimo **IUVENTVTIS PRINCIPE**, quod speramus, utpote flores nunc aetatis atque ingenii tam suaves, tam praestantes proferente, ut de fructibus, quos meditantur, non amplius conicere, sed certo diuinare, & quasi iam praecerpere illos liceat. Cultum paratumque est ingenium **ILLIVS** ad cognoscendas liberales artes atque litteras: validum idem est ad illas quoque defendendas, quippe litterarum studia non possunt se, nisi ope magni **PRINCIPIS** stueri; & quod possunt, ad gloriam illius, cui salutem debent, aeternitati consecrandam adhibent

bent. Hoc illud sacratissimum foedus est, quod prisca
Romani atque Graeci inter Herculem & Musas initum
pulcherrimis monumentis referunt. Exstat in Electorali
thesauro Brandenburgico antiquus nummus & vel rari-
tate sua commendandus, Herculis imaginem praese-
rens, leoninam induti, ac cum clava, telo suo, etiam ly-
ram, Apollineae similem, manibus tenentis; ita mira-
biliter inscriptus: **HERCVLES MVSARVM**. Scite
iudicarunt illi cordatissimi mortales, cum Herculem cum
Musis coniunxerunt, quia his opus est Herculeae defen-
sione; Herculi, & eius similibus propugnatoribus patriae,
nisi res suas, quas gerunt, nesciri velint, voce & praeconio
Musarum opus est. Id quod cum maxime nunc de
PRINCIPE IUVENTVTIS sperandum sit, qui aequae
ad Herculis praecleara & fortia opera, quam ad littera-
rum se sacra accommodat; utique omnes, qui liberalia
studia sectantur, **ILLIVS** salute laetari, & tam nobis,
quam **IPSI** congratulari, & natalem hunc, sponso-
rem nouae salutis & vitae longius producendae, religiosius,
id est votis ac precibus, faustisque gratulationibus con-
celebrare decet. In quo quod omnium est officium,
vnus, quasi dux & monitor, eleganti oratione praebit,
videlicet generosissimus ac politissimus iuuenis **CHRIS-
TIANVS ERNESTVS** de **STEVBE**, Eques Mans-
feldicus, quem ut crastino die ornate ac erudite dissertu-
rum omnes, quibus tanti **PRINCIPIS** salus curae est, be-
neuole audiant; utriusque reipublicae **PROCERES**, sum-
mos & eminentes **VIROS**, aliosque **BRANDE-
BURGICAE DOMINI** obstrictos; in primis serenissi-
mum **PRINCIPEM**, **HOLSATIAE DVCEM**, illu-
strissimos **COMITES**, perillustres **BARONES**, amplissi-
mos **COLLEGAS**, generosos ac nobilissimos Academiae
CIVES, quo par honore est atque studio, rogamus ac ad-
monemus. P. P. Halae XVIII Calend. Sept. **CIO IO CC.**

Handwritten note: *H. Dorn 87, 4*